

† R. P. Franciscus Pitocchi.



Qua via hic carissimus confrater a divina providentia in Congregationem ductus sit, ipsis eius verbis referre possumus, quae in novitiatu suo die 27 iulii a. 1885 conscripsit sermone italiano:

« Natus sum in Vico Latii die 22 septembris a. 1852. Cum puer essem mensium septemdecim, utrumque iam amiseram parentem atque aviae paternae traditus sum educandus, quae a prima pueritia litteris instruendum me curavit ab optimo praeceptore, in loco nostro sacerdote, et duodennem in seminarium dioecesanum me misit alumnum. Ibi cum in studia philosophica incumberem, a. 1869 ad statum religiosum me sensi esse vocatum atque suadente direttore spirituali admissionem in Societatem Iesu petivi. Sed

cum homines spectati suaderent, ut prius philosophiam absolverem, res dilata est, et cum turbae anni 1870 intercessissent, factum est, ut die 22 maii 1875 sacerdos ordinarer non religiosus, sed saecularis, ad quem statum numquam propenso, sed a quo alieno potius semper animo eram. Seminario egressum Rñus Episcopus iussit me acquirere facultatem magistri in schola elementari, quam mense augusto eiusdem anni adeptus sum. Tum per tres fere annos munus hoc exercui, quibus exactis officium canonici curati in vico patrio mihi commissum est. Ita decem annos in saeculo egi.

Numquam animo tranquillo fui. Multis quidem negotiis animus meus avocabatur, sed cum ad graves cogitationes redibam, pace me carere videbam, quae est condicio prima et necessaria bene vivendi atque operandi, solacioque aliquo utebar, cum a longinquo saltem ad vitae religiosae portum oculos animi convertebam. Sed incuria et tarditate in re pecuniaria, cum

nimia aliorum fiducia et commiseratione regerer, damnis, quae passus sum, et aere alieno in dies magis negotiis rerum externarum illaqueabar. Interea cum animi mei miseri perturbatio augetur (o infinitam Dei misericordiam!), filios S. Alphonsi propius cognoscendi admirandique opportunitate oblata in Congregationem ingredi constitui. Nec diu defuit occasio. Cum enim Romam iuvenem quandam in novitiatum deduxissem, forte quadam evenit, ut sensa mea Rm̃o P. Generali (Nic. Mauron) patefacerem, qui nihil respondit nisi duo verba, quae repetiit: *Fate presto, fate presto!* (*Fac cito, fac cito!*); ego vero respondi me facturum esse, ubi primum negotiis me liberassem. Haec verba tam alacri certitudine prolata ab eo, qui semel tantum mecum praesens collocutus erat, animum meum vehementer commoverunt mihiq̃ in corde haeserunt. E Rm̃i Patris conclavi alius exivi quam intraveram. Quo magis meditabar, eo magis verba illa vox Dei clarissima mihi esse visa sunt et simul ultima. Unum diem Romae mansi atq̃ in rationes meas cum Deo retractandas sapienter animum intendi, Rm̃us vero P. Generalis, qua erat caritate, etiam ad ea, quae obstant, removenda me adiuvit. Domum redux omnibus, quantum potui, dispositis instigante me semperque alliciente voce illa, quae fatidica mihi videbatur, *Fate presto*, die 3 februarii (1885) domo profectus sum, ut Romam peterem ».

Quam relationem suam novitius additis his verbis conclusit: « O Iesu, Redemptor Sanctissime, concede mihi gratiam sanctae perseverantiae, Tuque, Sanctissima Virgo, Mater Iesu et mea, ne cesses umquam intercedere pro me et Dei misericordiae pro me gratias agere. Sancte Alphonse, Pater mi magne, cum tibi placuerit vestem tuam mihi induere, fac, ut etiam ego induar virtutibus tuis sanctis, ut cum veri filii tui more vixerim in terra, tecum venire possim ad gaudia aeterna in paradisu! ». Virtutibus veri Redemptoristae in vita vestitum vidimus, ad gaudia aeterna eum pervenisse confidimus.

Cum privilegio sacerdotum (conf. Const. n. 1179 et 1218) iam die 8 septembris a. 1885 ad vota emittenda admissus est. Professione facta, quia cursum litterarium in Alatri Patribus e Societate Iesu magistris optime absolverat, multamque linguae italianae et latinae peritiam habuit, ad scholas litterarias studentium clericorum ad S. Alphonsum habendas vocatus est, quibus decem annos praefuit. Simul in edendis S. Alphonsi literis multam confratribus operam praestitit. Ipse librum de laudibus B. Mariae V. et Visitationes SS. Sacramenti edidit atq̃ e S. Doctoris libris manuale precum composuit, *Il Paradiso assicurato*, aliasque opellas in honorem S. Alphonsi vel ipse in lucem edidit, vel adiuvit.

Post decem annos spastico colli nervorum rigore laborare coepit, quo per annos viginti sex usque ad vitae finem cruciabat. Et quamquam scholas dirigere vel in pulpitu prodire non potuit, tamen a Dõmino alium operandi campum accepit, in quo impigre multoque cum fructu laboravit. Anno enim 1898 munus in se suscipere debuit audiendi confessiones alumnorum in seminario Romano, anno autem 1913 iussu Summi Pontificis in collegio Leoniano directoris spiritualis officium suscepit. In utroque munere plurimum contulit ad formandos spiritu vere ecclesiastico et pietate sincera clericos, qui eius directione utebantur et etiam seminario egressi ad eum, sive in duabus aliis urbis domibus degebat, ad S. Ioachim scilicet et in Monterone, sive ultimis vitae annis ad S. Alphonsum reverterat,

confitendi causa conveniebant. Ita factum est, ut in educando clero urbis Romae et in iuvanda vita spirituali multorum e clero Romano, etiam virorum praestantissimorum, magnae eius partes essent eiusque auctoritas magni haberetur. Viri conspicui, qui eius directione utebantur, libere testantur ab eo se multa didicisse; eum enim semper cum amore, sed graviter ad sentiendum cum ecclesia in rebus etiam minimis filios suos spirituales adhortatum esse, obedientiam, humilitatem, modestiam ab eis postulasse, eaque omnia fidei usu piarum exercitationum fulciri semper voluisse, ut florum mensis maii, scapularii, precum iaculatoriarum, novenarum, ac praesertim sinceræ erga B. V. Mariam pietatis. Sed etiam e populo permulti ad eum confluebant. Qua in re unus e filiis eius spiritualibus affirmat: « Eadem prorsus cura omnes suos poenitentes tractabat, feminam pauperulam aequè ac matronam, seminarii alumnum aequè ac cardinalem. Eos tantum praeferebat, qui maiore ope indigebant, aegrotos praesertim ».

Primo vere a. 1922, cum morbus « influenza » grassaretur, etiam P. *Francesco* (ita enim vulgo dicebatur) gravius adflctabatur. Spiritus angustiis, febre, suoque nervorum spasmo cruciatus in sella sedens repetebat verba illa: *Fiat voluntas tua*, et Beatae Virgini bonam mortem suam commendabat (*Madonna mia, fammi fare una buona morte!*). S. sacramentis iam diu munitus die 13 iunii celebrato in eius cella ab uno e Patribus s. sacrificio versus horam 10 duorum e poenitentibus suis sacerdotibus confessiones excepit, quo facto cum eisdem usque ad horam fere undecimam collocutus est. Hora dimidia post rosarium Beatae Virginis in manibus tenens placidissime animam Deo reddidit. Eius funus aestimationis, qua apud populum, et praesertim apud clerum Romanum fruebatur, dignum testimonium fuit. Ipse Summus Pontifex Pius XI dolorem suum R^mo P. Generali declaratum voluit (conf. *Anal.*, pag. 169). Diem vero obitus tricesimum seminarium Lateranense in ecclesia nostra S. Alphonsi cum permultorum filiorum eius spiritualium et amicorum interventu missa sollemni de Requie celebravit ab R^mo D. Iosepho Palica, E^mi Cardinalis Vicarii Romae vices gerenti cantata. Qua occasione Mons. Franciscus Borgongini-Duca praeclarum sermonem funebrem pronuntiavit. R. i. p.!